

dienter quosdam milites Hispanos recipere recusa-
verint. Eodem anno de mense septembris Alphon-
sus Davalos Marchio Vasti cum duobus millibus
delectorum militum ad urbem Nitiam Galliae Nar-
bonensis properat, ut illam eriperet ex manibus
Turcarum, qui illam dira obsidione cingebant. Tur-
chæ hoc præsentientes eam deserunt, nonnullis ædi-
bus succensis, prædæ nonnullam quantitatem, &
hominum ad tria millia adducunt. Eodem anno ci-
vitas Novariæ postridie idus aprilis cum universa
ejus ditio a Carolo V. Imperatore in feudum da-
tur Petro Aloysio Farnesio, ut gratificaretur Paulo
III. summo Pontifici ejus Patri.

MDXLIV. Pugnatum est apud Ceresolam cum
Gallis per Cæsarem infeliciter Duce Alphonso Da-
valos Marchione Vasti. Occiduntur ad duodecim
millia militum numero, sed magna ex parte Ger-
manorum; at Gallis non incruenta victoria constitit,
cum ex eis aliquot ex nobilitate viri desiderati sint.
Vastius acceptæ cladis dolore, quos ex turpi fuga
colligere potuit, ut majores motus hostium com-
primeret, collegit; moxque Astam Coloniam petiit,
dein Alexandriam proficiscitur, in qua ducto Ther-
meo Gallo captivo equestris militiæ cataphracto-
rum Præfecto, reliquias servati exercitus in præsidia
dimittit.

MDXLV. Die duodecimo mensis aprilis Turris
podiorum penes Marengum petitur, & flagitur per
Gambarinum de Gambarinis, Franciscum Stortilio-
num Conradum Ganducium, & clientes, ut in ea
disponere possent custodias pro tuitione honorum, ne
per inopinatum aliquem incursum hostium illa diripe-
rentur; quod eodem anno die 17. dicti mensis con-
ceditur. Eodem anno Alphonso Davalos Marchio
Vasti diem suum claudit extremum.

MDXLVI. In locum demortui Alphonso Davalos
Ferrandus Gonzaga vir sane prudentia, justitia, &
humanitate, omnibusque virtutibus ornatissimus a
Carolo V. Imperatore Mediolanensi Ditioni præfi-
citur. Eodem anno de mense octobris Rodericus
Davalos Gubernator Alexandriæ creatur ad instan-
tiam ipsius Civitatis. Antonio Aulario, & Anto-
nio Francisco Ferrufino Legatis siudicatur per Lau-
rentium Polum, & Nicolaum Siccum Capitaneum
justitiæ Mediolani. Rodericus supra memoratus vir
fuit pacis artibus insignis, & qui mallebat patriam
hanc nostram propriis armis, & viribus tutari, quam
externa auxilia adhibere. Sed lasciviente fortuna in
maximam verborum contumeliam, & incontinen-
tiam delapsus, cives, plerosque omnes sibi bonos,
inensos sibi reddidit, adeo ut cogerentur per sup-
plices libellos de ejusdem intemperantia Carolo V.
Imperatori, tunc Mediolanensis domini domino, cum
maximis querimoniis conqueri, ut eundem severe
coerceret, aut de loco moveret, atque hac de causa
memorati Legati ad eum mittuntur.

MDXLIX. De mense februario Philippus Austria-
cus Caroli V. Imperatoris filius, Belgas petiturus,
Alexandriam, mox Mediolanum applicuit; inde
Mantuum magnificentissimis apparatus undique ex-
ceptus, at non solum Regum, & Principum, sed
etiam & maximarum Civitatum legationes auditæ,
quæ undique confluebant, conveniebantque congra-

tulatum, pro felici, faustoque tanti Principis Mo-
narchiæ successoris adventu.

MDLI. Initia belli Parmensis universam Italiam
concusserunt, quæ post multos menses ita incalue-
runt, ut non solum exitium Parmensis civitatis, ve-
rum etiam totius Italiæ fere secum attulerint. Hinc
ab Octavio Farnesio Parmensium conquæsitæ auxilia,
& ab Henrico Gallorum Rege præstita fuere.

MDLII. Gonzales Rodriguez Salmaticensis Præ-
fectus urbis Alexandriæ a Carolo V. Imperatore de-
claratur; is fuit agrestibus moribus, vultu severo,
voce subobscura. Cujus temporibus Alexandria intus,
& extra bello ardebat, ob frequentes militum hospi-
tationes, quas perpessa fuit; tum quia cives illos
ægre alere cogebantur, & crebris Gallorum incur-
sionibus premebantur; multique ad extremam ino-
piam redacti sunt; sed nihil profuit invidiosa for-
tuna, cum cives Alexandrini licet tot malis circum-
venti constantissime tamen fidem inviolabilem Ca-
rolo V., & Philippo ejus filio, postea Hispaniarum
Regi semper servarunt. Duravit ipsius Rodrigui a
Salamanca Præfectura usque ad annum 1559.

MDLV. Carolus V. Imperator, Comitibus prius indi-
ctis. Ad statutum diem Bruxellas Beneficarii
omnes conveniunt in amplissimam aulam, in quam
paullo post a prandio ingressus Cæsar cum Philippo
filio, Maria Regina sorore, Emanuele Philiberto
Allobrogum Duce, atque aliis plerisque proceri-
bus, Carolus ipse in sublimi throno sedens, cæteros
jussit assidere; unus ex Consiliariis Cæsaris oratio-
nem habens, Cæsarem excusavit, quod iturus esset
in Hispaniam tamquam in recessum, ubi aerem cle-
mentiore experiebatur; præterea se senem viribus
imbecillem, haud posse tantam Regnorum molem
sustinere: ob id decrevisse Philippo filio renuntiare,
qui cum viribus esset firmis, & ingenio florenti
par esset futuro tanto oneri, cum jam regnis gu-
bernandis, ac regendis assuetus (1) esset, quod
ipsum effecit. Eodem anno Federicus Dux Albæ
Mediolanum ingreditur magna cum Civitatis læti-
tia, ubi per paucos dies commoratur, quam in
tanta perturbatione adinvenit, quanta vix explicari
posset; quandoquidem Hispani, qui in Gallia Ci-
salpina in hibernis erant, assidue consternati
quas eis inferebant, Gallorum cladibus Genuam
confugiebant, mox in Hispaniam trajecturi. Quare
necessum fuit custodias mittere Albæ Duci, qui
non minus atrociter, quam juste in profugientes
milites animadverterent, illosque supremis suppliciis
afficerent, ut hoc terrore injecto Hispani milites
ad vetera signa revocarentur. Eodem anno Ferraroli
(quos appellant) primum in Italiam visi. Hi
milites in Italiam jussu Ducis Albani ad mille, &
quinquecentum evocati sunt, ut partes Regis Phi-
lippi tutarentur, quas summo studio defendere nixi
sunt. Hi milites sunt equestris militiæ, & incedunt
potius Scitarum more, quam aliter tympano præ-
cedente, & pluribus archibus singuli eorum uten-
tes; quos mox displodunt in adversarios, & ab istis
chlamys illa exterior, quæ super cæteras vestes
portatur, quam Ferrarolum appellant, de nomine
dictæ gentis denominatur. Eodem anno omnia bello
mischentur; nam Galli die secundo mensis martii